





INDEX DISPUTATIONUM

- XII Dissput. vide p. 4  
 sub Praesidio S. Frid. Bal  
 duini.
- 13 De verbis testamenti Iesu  
 Christi filii Dei, hoc est  
 corpus meum, hoc est sanguis  
 meus Pr. Balduini.
- 14 De Prae destinatione  
 Pr. D. Jos. Gerhardi
- 15 Oratio de Friderico Myco  
 nio Theologo constantiensi et  
 primo Thuringorum Evangelista  
 ab. D. Ant. Erbo
- 16 De Dei et Christi Oratoris  
 nostri Mediatoris nostri, apud  
 creaturas gubernandas  
 universali et speciali pre  
 sentia. D. Bal. Mentzneri  
 D. Iust. Feurbornii
- 17 Abstergio Calumniarum  
 Jos. Coccii. Pr. Balb.  
 Mentzneri.
- 18 De Baptismo conclusionibus  
 comprehensus. Pr. D.  
 Petri Piscatoris.
- 19 De persona Iesu Christi ser  
 vatoris nostri Pr. D. Ambro.  
 Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis  
 Sacramenti Pr. D. Georgii  
 Mylii.
- 21 De visitatione eccle  
 siastica Pr. D. Georgii  
 Mylii.
- 22 Caroletavius redivivus  
 contra Calvinianos Pr. D.  
 Georgii Mylii.
- 23 De verbo Dei scripto,  
 et traditionibus non  
 scriptis. In Disputationes  
 X distributa. sub Praes.  
 D. Leonhardi Huterei.
- Indice decem Disputationum  
 vide p. 2. in disp. 1.
- 34 Threnologia de obitu  
 Principis Friderici Wilhelmi  
 Huterei D. Georgio Mylio.
- 35 Panegyris Actus Doctorei  
 jurisconsulti i. e. Jos.  
 Stigeli de inauguratione  
 in Acad. Salana.
- 36 Modus inveniendae Concordiae  
 in controvers. De electione ad  
 vitam a San. Hubero D.  
 2 in morte Principis Saxoniae
- 37 Ad Tragediam Virgilianam  
 de Aenea et Lavinia
- 38 166 Selectiones Epistolae D.  
 Ph. Melancthonis ad D. Frid.  
 Myconium conscriptae et
- 39 De viro sancto Martino  
 Lutbero.
- 40 Votum nuptiale



DISPUTATIO THEOLOGICA IIII. 28

De

PERFECTIONE

Scripturæ,

QVOD EA CONTINEAT OMNIA, QVÆ  
AD FIDEI MORVMQVE INFORMA-  
*tionem pertinere videntur,*

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri

Dn. LEONHARTI HUTTERI,

S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ

V Vitebergensi Publici discutiendam

proponit

M. BALTHASAR MEISNERVS,

*Dresdensis.*

Ad diem 15. Martij horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

---

Anno M. DC. VI.





VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, præ-  
claro rerum usu & authoritate Excel-  
lentissimis,

Dn. CASPARO à Schönberg,

Dn. CHRISTOPHORO à Lofs:

Illustris: Electoris Saxonix  
Consiliarijs intimis,

*Patronis ac Mæcenatibus meis magnis,*

*Exercitium hoc Theologicum*

offero

Respondens.





Disputatio IV.  
De  
PERFECTIONE  
SCRIPTURÆ.  
THESIS I.



*N*ter alia, toti orbi Christiano notissima, convitia, quibus synagoga Romanensis sacrosanctum Scriptura Canonica depositum aggravare præter meritum consuevit, vix ullum reperitur magis sive in Deum blasphemum, sive in Ecclesia noxium, quàm quod de imperfectione & insufficiencia Scripturarum vulgò circumfertur.

II.

*Quæ enim atrocior vel excogitari saltem poterit blasphemia, quàm eloquia Dei benedicti & gloriosi, qui ipsa est perfectio, & à quo manat omnis nostra sufficientia, imperfectionis arguere, Evangelium nigrum & Theologiam atramentariam nominare, in qua multa creditu scituq; ad salutem necessaria desiderentur?*

*1. Cor. 3, 5.  
Eccius in En-  
chiridio.*

III.

*Quid cum maiori universæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ damno coniunctum est, quàm ad supersticiosas & aniles traditiones, hominumq; ad inventiones ablegari, Scripturamq; secundum istas, non vice versâ, istas secundum Scripturam explicari?*

IV.

*Ita enim omnis certitudo & ἀληθοφoγία Christianæ fidei tollitur, vera probandi spiritus ratio prorsus evertitur, omnisq; generis here-*





ris haresibus, nudum modò & cassum nomen ex continua successi-  
one acceptarum traditionum prætentibus, latissima fene-  
stra aperitur.

V.

Animadverterunt olim hoc ipsum, ex Rabinis Iudæorum  
qui fuerunt præcipui. Cum enim suorum sodalium multos, cla-  
rissimâ Scripturæ luce convictos, Christianam fidem suscepisse, &  
gravissimum suæ religionis dispendium propediem se facturos, si  
in posterum etiâ solis Scripturarum armis uterentur contra adver-  
sarios, intelligerent, aliâ rem esse aggrediendam viâ putantes,  
duplex doctrina Iudaica principium, scriptum & non scriptum,  
codicem videlicet Sacrum U. T. & traditiones Patrum suorum,  
omnes in unum volumen (quod Talmud appellant) congestas, an-  
no post natum Christum 219. ausu planè nefario commenti sunt;  
quo factò & obtinuerunt, ut postea rari admodum Iudæi, quippe  
traditionibus istis implicati & innixi, ad Christianismum fue-  
rint conversi.

VI.

Fœlicem Iudaici huius stratagematis successum agnoscentes  
Pontificij, & quasi à longinquo prævisam Antichristiani regni  
ruinam pro virili præcaventem, judaizare, quàm gloriam Deo,  
Deiq; verbo dare maluerunt.

VII.

Quapropter eodem prorsus, quo Iudæi, astu & consilio duplex  
religionis Papistica fundamentum confinxerunt, verbum scri-  
ptum & traditiones, quas honorifico sanè, sed perperam ad hoc  
detorto titulo, verbum Dei non scriptum indigitant.

VIII.

Primarij enim Romane bestiae parasiti sentiebant sub pri-  
mum statim reformationis Ecclesiasticae initium, actum esse de  
sede Pontificia, deq; præcipuis, sibi maximè fructuosus & questu-  
osis abominationum Papisticarum articulis, nisi fundamenti lo-  
co aliud quoddam principium, præter & extra, addo & contra  
Scripturam aliundè assumerent; quam ob causam in conventu  
Augustano palàm professi sunt, se ne hilum quidem obtenturos, si  
ex solis Scripturarum testimonijs cum Luthero disputandū fuerit.

Hinc

Galatinus l.  
1. de arcanis  
Cathol. verit.  
c. 1. Buxdorf-  
fius in synago-  
ga Iudaica  
cap. 1.



**IX.**

Hinc maturo Tridentinae synodi consilio publicè sancitum ac decretum est, ut & istae, aliunde ascitae, traditiones omnes pari pietatis affectu & reverentiâ cum reliqua Scriptura canonica susciperentur.

**X.**

Quo decreto nunc acquiescentes Pontificij reliqui, quasi impete facto in Scripturam irruunt, eam mancam, mutilam, imperfectam & insufficientem, non continentem omnia, ad articulos fidei & dogmata pietatis necessaria, blasphemò ore proclamant; atq; ita suis horrendis abominationibus solo traditionum nomine indubiam fecisse fidem, & contradicentes fortissimè redarguisse existimant.

**XI.**

Quocirca cùm iugulum verae Christianae religionis petat haec assertio Papistica, meritò opponimus ei orthodoxum hunc, & è meditullio ipsius Scripturae petitum aphorismum: Sacra canonica Scriptura perfectissimè continet ea omnia, quae ad fidei, morumq; informationem pertinere videntur.

**XII.**

Enunciati huius veritas etsi abundè vel ex sola precedenti disputatione constare possit, in qua probatum est, omnes omnino circa negotiũ fidei subortas, & suborituras controversias ex unica Scriptura Sacra sufficienter d. judicari; (nequit autem iudicium fieri ex Scriptura de ijs, quae in Scriptura non continentur) tamen, ut adversariorum stupenda vanitas eò magis innotescat, puriorem Ecclesiarum nostrarum doctrinam paucis placet repetere.

**XIII.**

Initiò proindè notandum venit, in controversiam à nobis non simpliciter vocari, utrum detur verbum Dei, quod literis materialibus non conscriptum, & in membranis non sit consignatum?

**XIV.**

Ipsi enim haud invitì vulgatam istam distinctionem admittimus, quã duplex Scriptura statuitur, in visibilis, quae appellari potest verbum non scriptum (externam scriptionem intelligo) & visibilis: illa in cordibus fidelium, haec in membranis, mediantibus Prophetis & Apostolis exarata est.

Seß. 4. decreto 1.

Bellarmin. l. 4. de verbo Dei non scripto c. 9. Cost in Enchiridio pag. 47.





## XV.

De priori Scriptura specie loquitur Apostolus Paulus 2. Cor. 3, 3. Vos estis epistola Christi, subministrata à nobis, in scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis.

## XVI.

Observetur autem invisibilem visibili Scriptura non esse contrariam aut oppositam, sed ratione substantiæ prorsus eandem. Dei enim verbum, quatenus à Prophetis & Apostolis in literas est redactum, atq; sic in oculos incurrit, Scriptura visibilis, quatenus verò fidelium cordibus altissimè infixum, & à Spiritu Sancto gratiosè est obsignatum, hæcenus Scriptura invisibilis nuncupatur. Proinde hoc sensu si queratur, utrum sit aliquod verbum Dei non scriptum? ipsi affirmativam cum Apostolo Paulo tenebimus.

## XVII.

Neq; hîc sermo est, Vtrum ea omnia, quæ Deus partim ipse, partim per Prophetas & Apostolos olim locutus est, literis sint exarata & conscripta? Libenter enim concedimus Pontificijs, non omnia esse scripta, illam tamen interim constanter negantes consequentiam: Non omnia sunt scripta; E. non omnia necessaria sunt scripta.

## XVIII.

Chemnitius  
part. I Exam.  
Concilij Tri-  
dent de Sacra  
Scripturapag.  
8. & 16.

Neq; disputamus, An Ecclesia semper de fide & moribus ex Scriptura, nunquam per traditiones fuerit edocta? Quis namq; negaret in veteri Instrumento Ecclesiam ad annos bis mille quadringentos & quinquaginta quatuor, in Novo autem Testamento ad annos viginti, aut etiam plures scripto Dei verbo caruisse?

## XIX.

Neq; controvertimus; Vtrū in Scripturis canonicis contineantur omnia, quæ quovis modo in Ecclesia Dei sunt necessaria? Tria enim quasi generalia dantur Christianæ religionis capita, quorum primum ipsam fidem seu doctrinā, alterum mores & vitā Christianorum, tertium ritus ac ceremonias Ecclesiasticas concernit.

## XX.

Caput hoc tertium quod attinet, ipsi fatemur, omnes ritus Ecclesiasti-



clesiasticos in Scripturis non contineri descriptos, sed eorum ad-  
ministrationem & dispositionem libertati Christiana & iudicio  
Ecclesiae esse commissam. XXI.

Quae verò ad informationem fidei, morumq; instructionem  
pertinent & necessaria sunt, ea singula & universa sufficientissi-  
mè in Sacris Scripturarum libris proposita nos habere constanter  
statuimus; qua in re suffragatur nobis D. Augustinus lib. 2. de  
doctrina Christiana c. 9. sic inquit: In ijs, quae apertè posita  
sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem,  
moresq; vivendi. XXII.

Status proinde hinc emergit geminus, quorum prior querit,  
An omnia ad fidem; posterior, An omnia ad mores informandos  
pertinètia in Scripturis reperiatur, sive id fiat formaliter, & quoad  
rem tantum, sive formaliter & materialiter simul? Utrobique à parte  
stamus affirmantium, cuius confirmationem brevibus iam subijcie-  
mus. XXIII.

Quo fine Deus verbum suum literis consignari voluit, eodem  
& non alio procul dubio consignatum est, nisi Deum fine suo fru-  
stratum diceremus, quae blasphemia meritò à nobis omnibus abes-  
se debet. Illum verò scriptiois Sacrae finem Deo fuisse propositum,  
ut ijs, quos in populum elegerat, de voluntate sua, quidnam cre-  
dendum, quid minus perfectissimè constaret, sic evinco. XXIV.

Cum Deus sub primam statim mundi originem post horren-  
dum Adami lapsum protoplastis nostris voluntatem suam vivam  
voce sine scripto revelasset, revelatamq; posteris enarrandam man-  
dasset, & verò petulantiam malitiamq; hominum fieret, ut assumen-  
tis traditionum caelestis veritas subinde obscuraretur, sicuti ante  
diluvium in posteritate Cainitica, & post diluvium in familia Tha-  
re & Nahor (qui Dijs alienis servisse dicuntur Iosua 24, 2.) & in  
familia Labani Gen. 31, 19. atq; post Patriarcharum tempora, du-  
rante servitute Aegyptiacâ, Ezech. 20, 8. factum est; tandem De-  
us Israëlitis, ad quos Ecclesia V. T. ordinariè alligata erat, aliâ  
ratione, adulterationibus & depravationibus humanis non adeò,  
ut prior,



ut prior, expositâ, voluntatem suam notificare & in apricum pro-  
ferre conclusit. XXV.

Postquam ergo populum Israëliticum ex Ægypto potenti ma-  
nu eduxisset Deus, omnia illa quæ populum suum scire credereq;  
volebat, per Moſen conſcribi iuſſit, conſcriptamq; doctrinam ſtupen-  
dis miraculis confirmavit. XXVI.

Utq; omnibus conſtaret, novam hanc, & antea inſuetam do-  
cenda ac propaganda Eccleſiæ rationem ab hominibus non eſſe  
profectam, Deus ipſe, omnipotente digito, verba Decalogi tabulis  
lapideis inſcripſit, atq; ſic factò exemploq; ſuo recentem iſtum addi-  
ſcenda veræ doctrinæ modum initiavit & conſecravit, ut ita ſacro-  
ſanctæ Scripturæ primum ſuum authorem agnoſcant ipſum Deum  
benedictum & glorioſum. XXVII.

Quocirca cùm omnia, quæcunq; ſcitu credituq; ad fidem ſeu  
doctrinam Israëliticam erant neceſſaria, per vivam vocem vel  
traditiones perfectè cognosci potuerint, utiq; illa etiam omnia ex  
Scriptura, quippe quæ in traditionum, iam abrogatarum, locum  
ſucceſſerat, & à Deo ipſo hoc fine confirmata fuerat, ſufficienter  
hauriri potuerunt; niſi poſteriore hunc modum priore incertio-  
rem & imperfectiorem, contra manifeſtum Dei propoſitum statu-  
ere, aut utrumq; illum modum, itidem contra Dei inſtitutum, con-  
fundere velimus. XXVIII.

Innuit hoc ipſe Moſes Deut. 4, 2. Non addetis, inquiens, ad  
verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo; & Deut. 12, 32.  
Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quic-  
quam, nec minuas. XXIX.

Si ergo Israëlitis tantum illud erat ſciendum & faciendum,  
quod Moſes præcepit, & nihil ei addendum, nihilq; detrahendum,  
utiq; ſcriptura Moſaica continuit omnia, quæ Israëlitas Deus ſcire  
volebat, quæq; ad doctrinam V. T. pertinere videbantur.

XXX.

Excipiunt Pontificij, tantum ibi prohibitam eſſe additionem  
contrariarum legi divinæ traditionum, iſtudq; interdictum pri-  
vatas tantummodo perſonas, non Magiſtratum, ſive Eccleſiaſti-  
cum, ſive



cum, sive Politicum attinere, imò non de Scriptura, sed præceptis, quorum multa minus fuisse scripta existimant, Mosi sermonem esse, cum dicat, quæ præcipio, & non, quæ scribo.

XXXI.

Gaudete ergo Iudæi; Evicistis vestras, de quibus hætenus tam acriter pugnavistis, traditiones Talmudicas; obtinuistis fabulam de duabus uxoribus Adami, Lili & Eva: satis probavistis nugas vestras de Messia nato quidem, nondum autem revelato, sed pilo mulieris in Paradiso alligato: Evidenter demonstravistis, Christum, unicum nostrum Messiam, beneficio vocabuli Sem ham-mephoras miracula, ab Evangelistis annotata, edidisse.

Buxdorffius  
in synagoga u  
darca cap. 1.  
& 2. Galatis  
nus 1, 8. c. 5.

XXXII.

Annón autem falsissimum est, contrariarum duntaxat traditionum prohibitam esse additionem, siquidem contraria legis as-sumptio, non additio veteris, sed potius antiquatio & abrogatio est, idq; quod alteri contrarium est, eidem addi non potest?

XXXIII.

Annón falsissimum est, interdictum istud privatas tantummodo attinere personas, cum universum Israël alloquatur Moses, cultuumq; & præceptorum mutatio, sive ea fiat per additionem, sive per detractionem, non à privatis, sed à publicis duntaxat personis, quibus demandata est doctrinæ custodia, attentari possit?

XXXIV.

Annón falsissimum est, multò plura à Mose populo Israëlítico ad fidem pertinentia præcepta data esse, quam literis sint consignata? Scribe, inquit Dominus ad Mosén, Omnia verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus, Exod. 34, 27. quod fideliter à Mose factum fuisse quis pius dubitaret?

XXXV.

Quocirca etsi procul dubio Deus per Mosén multò plura ad Israëlitas fuerit locutus, corū tamen summā & quasi brevem synopsis Mosés conscripsit, ut ita Eccl. sia haberet certum quendam canonem, & infallibilem regulam, è qua omnium dogmatum cer-

B

titudi-



titudinem peteret, nihilq; extra eam, etiamsi bonâ intentione inventum, sub ratione cultus & fidei reciperet.

XXXVI.

Ideò Moses iam moriturus, lege Domini, à sese consignatâ, Sacerdotibus & populi primoribus traditâ, præcepit, ut singulis septem annis legeretur coram toto Israële, tam viris quàm mulieribus, parvulis & peregrinis, ut audiant, & ut discant, & Iehovam timeant, Deut. 31, 10, 11, 12.

XXXVII.

Ideò in subortis controversijs unicè ad Scripturam ablegantur Iudæi, Esa. 8, 20. Ad legem & ad testimonium; Luc. 16, 29. Habent Mosen & Prophetas, illos audiant. Iob. 5, 39. Scrutamini Scripturas, quia vos existimatis in ijs vitam æternam habere.

XXXVIII.

Ideò Propheta David exclamat Psal. 19, 8. Lex Domini perfecta est, restituens animam, testimonium Iehovæ verax, sapientiam afferens imperito.

XXXIX.

Quapropter nullâ prorsus ratione negari potest, Scripturam veteris, Instrumenti fuisse sufficientem & perfectissimam normam, ex qua unica vera fides perfectè addisci poterat, cum Deus non per traditiones & Scripturam simul, sed per Scripturam tantum, quippe in locum traditionum subrogatam voluntatem suam revelare voluerit.

XL.

Subinde autem obstrepit Spiritus Iesuiticus, etiamsi evincatur in V. T. suffecisse solam Scripturam, in Novo tamen quò minus id procedat, causam esse diversam Veteris & Novi Testamenti, prorsusq; dissimilem rationem, utpote cum ab ipso Deo constituta & à Propheta Ieremia c. 32, 33. prædicta sit hæc proprietas doctrinæ Novi Testamenti, ut nec in tabulis, nec in chartis, nec calamo, nec atramento, nec quovis alio modo literis consignetur, sed vivâ tantum voce animis auditorum commendetur, & ad posteros propagetur.

XLI.

Ut igitur omnem rimam elabendi adversarijs intercludamus, manifestum est mendacium, doctrinæ Evangelicæ hanc esse proprie-



proprietas, ut non scribatur, sed vivâ tantum voce per manus  
quasi tradatur.

XLII.

Etsi enim haud negaverimus, primis viginti annis post ascensionem Christi, secundum Irenaei supputationem, caruisse Ecclesiam N. T. scripto Dei verbo, ut sic Evangelium, antequam literis consignaretur, praedicatione & miraculis Apostolorum contra gentilium & Iudeorum calumnias prius confirmaretur, & assensione populorum credentium comprobaretur: perpetuo tamen illam Scripturâ carere debuisse falsissimum est.

XLIII.

Uti enim in Testamento veteri Israëlitis scriptum Dei verbum est concreditum, ne peregrina & adulterina dogmata obtruderentur, hoc titulo, quasi à primis Patribus tradita & accepta essent: ita in Novo etiam Testam. cum Ecclesia Dei non unius terrae limitibus circumscripta, sed per totum terrarum orbem longè lateq; diffusa esset, singulari providentiâ divinâ factum est, ut id, quod Apostoli publicè praedica verant, literis, quantum fieri poterat, brevissimè consignarent, ne Christiani alijs, traditiones Apostolicas iactantibus, fidem adhibere necessum haberent.

XLIV.

Apparet hoc ipsum quàm luculentissimè ex primo Novi Test. scripto. Cum enim post ascensionem Christi, turbaretur Ecclesia à quibusdam doctoribus, contendentibus, omnino necessarium esse, bonamq; partem doctrinae Evangelicae in hoc consistere, ut Christiani singuli iuxta legem Moysi circumcidantur, coactum est Hierosolymæ Concilium Apostolorum, quò controversia hæc, recens suborta, dijudicaretur, atq; prorsus consopiretur, Act. 15, 6.

XLV.

Postquam ergo in utramq; partem diu multumq; esset disputatum, communi tandem consensu est decretum, ut iugum istud, quod ne quidem Patres in V. T. portare potuerunt, Christianis nullo prorsus modo imponeretur, v. 20.

XLVI.

Quapropter ut de vera Apostolorum sententia constaret omnibus  
Ecclesijs,



*Ecclesijs, non nihil ob hanc rem commotis, decisionem istius quæstionis brevi scripto comprehenderunt, cuius summa describitur v. 28; Visum est Spiritui Sancto ac nobis, ne quod amplius imponeremus vobis onus præter necessaria ista, &c.*

*XLVII.*

*Factum est ergo initium Scripturæ Novi Testamenti, non ab uno saltem Apostolo, privato quodam ausu & consilio, sed instinctu Spiritus Sancti, cum Apostoli omnes in primo isto & celeberrimo concilio Hierosolymitano unanimiter essent congregati; & quidem eo fine factum est Scripturæ initium, ut certa redderetur Ecclesia de genuino Apostolorum, circa quæstionem hanc, iudicio, ne quis, sicuti antea sæpè acciderat, supposititiam & adulterinam sententiam, titulo traditionum Apostolicarum introducere auderet, vel si etiam ausus fuerit, num illi credendum, liquido constaret.*

*XLVIII.*

*Et vel in primis notandum est, quod missi fuerint ad fratres in Antiochia, Syria & Cilicia, cum Paulo & Barnaba viri duo primarij, Iudas & Silas, qui illud ipsum, quod à Concilio breviter in epistola fuerat annotatum, publicè annunciarent, & fusiùs vivâ voce explicarent, v. 22.*

*XLIX.*

*Quapropter si proprietates Papistica Novi Testamenti locum haberet, Spirituiq; Sancto cum Apostolis visum fuisset, Ecclesiam solâ traditione vivæ vocis per Iudam & Silam sine scripto erudire, quid tum fuisset opus istâ epistolæ scriptione?*

*L.*

*Quia verò putabant Apostoli consultius fore Ecclesiæ propter periculum crebrò iactatarum traditionum, si per Scripturam de vera doctrina fierent certiores Christiani, ideò non solâ prædicatione Silæ & Iudæ contenti esse, sed simul epistolam, decisionis summam breviter continentem, adiungere voluerunt.*

*LI.*

*Eodem prorsus fine, & simili planè consilio Evangelistæ & Apostoli reliqui scripta sua promulgârunt. Lucas sub initium statim capituli primi v. 3. & 4. Visum est mihi, inquit, omnia, altè re-*  
*pe. ita*



petita, penitus assecuto, ordine ad te scribere, ut agnoscas earum rerum veritatem, quas auditione accepisti. Iohannes, qui id, quod cæterorum Evangelistarum scriptis deesse videbatur, complevit, c. 20, ait v. 31. Hæc scripta sunt, ut credatis & credentes vitam habeatis.

LII.

Instabit hîc gens Iesuitica, omnia quidem, quæ ab Apostolis & Evangelistis scripta sunt, eo fine & hanc ob causam scripta esse, ut ex ijs Ecclesia erudiretur, omnia autem scripta non esse, ac proinde ex scripto verbo de omnibus ad fidem pertinentibus erudiri neminem posse.

LIII.

Futili huic & anili obiecto vel unicum illum aphorismum Apostolicum oppono, qui habetur 1. Cor. 4, 6. Discatis supra id, quod scriptum est, non sapere, Hinc colligo: Si ultra scriptum Dei verbum Christianos non decet sapere, utiq; omnia, ad sapientiam & fidem Christianam pertinentia, in Scripturis continebuntur: Aut si aliquid, ad fidem necessarium, ultra & extra Scripturam ex traditionibus addiscendum est, illud sanè non Apostolicum, sed Apostolico huic effato è diametro erit oppositum.

LIV.

Adiungo in præcipuas classicum istum & verè aureum locum eiusdem Apostoli Pauli, 2. Tim. 3, 14. & seqq. qui tot penè argumentis pro nostra sententia abundat, quot constat vocabulis. Ille sic habet: Tu maneto in ijs, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens, à quo didiceris: quia ab infantia Sacras Scripturas nosti, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim Scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut PERFECTVS sit homo Dei ad omne opus bonum PERFECTE instructus.

LV.

Ut hic nihil dicam de eo, quòd Apostolus Timotheum in Scriptura manere, & non ad traditiones confugere hortatur, quòd Scripturam à Deo inspiratam esse dicit, qui cum sit perfectissimus, imò ipsa perfectio, effectum non nisi perfectum producit; illud sal-



tem probè velim observari, quòd Scriptura dicatur hominem sapientem reddere ad salutem, dicatur utilis ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem, & ita quidem utilis, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.

LVI.

Hinc enim infero: Ex quo perfectè quis potest instrui ad doctrinam Christianam, ad redargutionem falsorum, correctionem malorum, institutionem aliorum, illud hæcenus imperfectum & insufficientis non est. De Scriptura autè illa omnia enunciatur. E. Scriptura hæcenus imperfecta & insufficientis non est, quod uno verbo dicitur, Scriptura perfectè continet omnia, ad fidem & mores pertinentia.

LVII.

Futilis proinde est exceptio Iesuitica, quæ de utilitate quidem, non verò sufficientia Scripturæ Apostolorum loqui contendunt. Cum enim utilitas, quæ semper cum relatione ad indigentiam accipitur, duplex sit, vel adæquata & totalis seu sufficientis, omnem omninò indigentiam auferens; vel partialis, non sola, sed cum alijs administris indigentiam tollens, divinatione opus non est, de qua utilitatis specie sermonem faciat Apostolus, præsertim cum adijciat, Scripturam ita esse utilem, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus, quæ sanè manifesta est utilitatis adæquate, quæ cum sufficientia coincidit, descriptio.

LVIII.

Ex hac etiam addita determinatione prædicati elucet notam universalitatis (ἡ ἀσά γεγεννημένη) non aliter, quàm collectivè accipiendam esse. Si enim distributivus sensus obtineret, sequeretur utiq; quemlibet librum Biblicum, quodlibet caput, imò quamlibet periodum & sententiam perfectè sapientem reddere, & sufficientur instruere hominem Dei ad salutem, & ad omne opus bonum, quod quanta cum absurditate sit coniunctum quemvis animadvertere opinor.

LIX.

Eiusdem valoris est altera Romanensium instantia, palàm asserentium, istud elogium Apostolicum ad libros N.T. accommodari haud posse, cum eo, quo id scriberetur, tempore, nondū extiterint scripta Evangelica & Apostolica.

Nam.



Nam si veteris Testamenti scripta hominem perfectè sapientem, instructumq; potuerunt reddere ad salutem, & omne opus bonum, quanto magis id præstabit universus codex Biblicus, V. & N. T. ut nihil dicam de eo, quod ab historicis communi consensu annotatum est, conscriptum fuisse Evangelium Matthæi, Marci & Luca, imò omnes reliquas epistolas Paulinas, cum hac ad Timotheum posterior literis consignaretur.

Confirmat hætenus dicta evidenter id, quod Apostolus dicit Gal. 1, 8. Etiam si nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Quæ verò Paulus evangelizavit, illa ipsa etiã per epistolas scripsit, 2. Cor. 10, 11. Quapropter qui aliud docent, quàm scriptum est, illos sanè meritò ferit anathema hoc Apostolicum.

Urgebunt hic Pontificij, Apostolum anathema dicere ijs tantum, qui aliud suo contrarium Evangelium annunciant. Accipio hoc, & in iugulum adversariorum retorqueo: Verbum istud non scriptum, seu traditiones, quas iactant, aut sunt Apostolica aut Apostolicis scriptis contraria. Si hoc, evictum est, de quo hætenus pugnavimus; Sin illud, necesse erit evolvere scripta Apostolorum & ad hæc traditiones istas examinare.

Proinde etsi hoc consilio Romanenses confingant verbū non scriptum, ut eo βδελύματα sua, quæ secundum Scripturam examinata, primo statim aspectu cuius Christiano obvia sunt, tanquam perizomate aliquo obtegere queant; tandem tamen ipsis post longam tergiversationem, velint nolint, ad Scripturam est redeundū, quò sic appareat, num istæ, quas recipiendas Ecclesiæ proponunt, traditiones sint Apostolica, an verò Apostolorum scriptis è diametro oppositæ.

Atq; hætenus primæ questionis partē affirmativã abundè satis probatam dedimus, ex qua etiam facile fieri poterit iudicium de questione altera, quâ queritur, An omnia ad informationem morum Christianis necessaria in Scripturis contineantur?



LXV.

*Si enim eo fine verbum Dei conscriptum est, ut sit norma fidei & morum, si verbo Dei scripto nihil vel addendum vel detrahendum est, Deut. 4, 2. si tantum facienda ea, quae praecepit Dominus Deut. 12, 32. Si Moses & Propheta audiendi Luc. 16, 29. Si non sapiendum supra id, quod scriptum est, 1. Cor. 4, 6. Si Scriptura perfecte instruit hominem ad omne opus bonum, 2. Tim. 3, 17. utiq; omnia, ad morum informationem pertinentia, in Scripturis inveniuntur.*

LXVI.

*Nihil ergo immorantes hac in questione, adeo aperta & manifesta, totam hanc disquisitionem vulgato isto Hieronymi dicto concludimus; Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.*

*In cap. 23.  
Matth.*

F I N I S.





94 A 7359

ULB Halle 3  
002 625 679



Sb.

Ratio

VD 17





XXXIII

DS

ET

XXXIII

XXXIII


DS

XXXIII

Small rectangular label with illegible text.







DISPUTATIO THEOLOGICA IIII. 28

De  
PERFECTIONE  
Scripturæ,

QUOD EA CONTINEAT OMNIA, QUAE  
AD FIDEI MORVMQUE INFORMA-  
*tionem pertinere videntur,*

Quam Spiritu Sancto favente  
SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri  
Dn. LEONHARTI HUTTERI,  
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia  
V Vitebergensi Publici discutiendam  
proponit

M. BALTHASAR MEISNERVS,  
*Dresdensis.*

Ad diem 15. Martij horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ  
Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.